

Π ς  
936










QK. 524, 48.

HC  
936

DE  
QVINCTILIANO  
OPTIMO SCHOLAE REGENDAE MAGISTRO  
BREVI COMMENTATIONE EXPONENS  
AD  
ORATIONEM  
RECTORIS IN SCHOLA NOVAE VRBIS  
AD DRESDAM

MVNERIS DEPONENDI CAVSSA  
CVM SEX IUVVENVM ORATIONIBVS  
D. III. JVN. clb<sup>o</sup> CCLXXII. H. L. Q. C.

HABENDAM  
OFFICIOSISSIME INVITAT  
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE.



DRESDAE  
TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.



QUINTILLIANO

OPUS SEPTIMUM REPERTORIUM

IN OMNIBUS ARTIBUS

AD

ORATIO

IN OMNIBUS REPERTORIUM

AD REPERTORIUM

IN OMNIBUS ARTIBUS

OPUS SEPTIMUM REPERTORIUM

IN OMNIBUS ARTIBUS

REPERTORIUM

OPUS SEPTIMUM REPERTORIUM

IN OMNIBUS ARTIBUS



DRUSIUS

OPUS SEPTIMUM REPERTORIUM







oua confectans in rebus scholasticis falso queritur  
Basedouius, prodigiosus ille scholarum emendator,  
has aetate longa tritas et confectas delirare. Noui-  
tates enim ab ipso, spreis maiorum institutis, factae nullam  
profecto spem afferunt, vt, tanquam in herbis non fallacibus,  
fructus aliquis appareat; sed monstra potius pepererunt opinio-  
num sacris purioribus infestarum, bonis castisque moribus ini-  
micarum, recto artium liberalium cultui scholisque ipsis perni-  
ciosarum. Quamuis facile largiamur, fieri posse, et factas esse  
institutioni scholasticae accessiones haud sane contemnendas;  
tamen, ex neglectis maiorum vestigiis multum detrimenti scho-  
las accepisse, non diffitemur. Tantum certe abest, vt ordina-  
tio Saxoniae scholastica deliret senectutis inconsultae vitio, vt  
potius Basedouianis consiliis longe praestantior, et praecepto-  
ribus scholarum, et discipulis leges dicitur multo saluberrimas,  
quibus obseruatis artium ingenuarum officinae cum alumnis  
suis sic efflorescent, vt messem rei publicae haud incertam  
ostendant.

*hinc cum*





Ego vero, spectata hac legum Saxonicarum prudentia, et scholarum Rectores istos profecturos existimo, quibus placeat arideatque ordinatio, de qua dixi, scholastica. In ea Recto-ribus imperatur, praeter alia muneris sui bene feliciterque ge-rendi officia, vt Quinctilianum inprimis lectitent, atque, hoc duce ac monitore, quid scholis sit salubre frugiferumque, discant. Monet autem Fabius, vir bonae mentis, tam pruden-ter, tam sobrie, tam salubriter, vt oculis animoque in peritifi-simi viri praeceptionibus defixis, persona mihi imposta nihil magis dignum iudicem, quam si nunc Quinctilianum contempler *optimum scholae regendae magistrum*.

Sed tanto magis e Fabii disciplina proficiet cui demandata est scholae regendae cura, quod hic, *Instit. Orat. L. I. C. II.* quaestionem tractans, vtrum vilius domi, an in scholis erudia-tur iuuentus? commoda scholarum publicarum prae priuatis institutionibus probe perspexit. Illas summo studio commen-dandas existimat, *quod cum iis, a quibus clarissimarum ciuitatum mores sunt instituti, tum eminentissimis auctoribus, videt placuisse. Lumen deinde conuentus honestissimi* (vide scholarum publicarum nomen honorificum) *tenebris ac solitudini praefert, tum ma-gistro iucundum atque vtile, tum discipulis. Nam optimum quemque praeceptorem, ait, frequentia gaudere, ac maiore se theatro dignum putare. Vocem vero praeceptoris non, vt coenam, minus pluribus sufficere, sed vt solem, vniuersis idem lucis calorisque lar-giri. In illis feliciter fingi, censet, futurum oratorem, qui adsuescat iam a tenero non reformidare homines, neque solitaria et velut um-bratili vita pallefcere. In illis excitari mentem, statuit, et attolli, quae in secretis aut languescat, et quendam velut in opaco situm ducat, aut contra tumescat inani persuasione. Neesse enim esse, sibi nimium tribuere, qui se nemini comparet. Deinde cum profe-renda sint studia, caligare in sole, et omnia noua offendere, vt qui solus didicerit, quod inter multos sit faciendum. Amicitias etiam* monet,





monet, in scholis contrahi, quae ad senectutem firmissime durent, religiosa quadam necessitudine imbutae. Neque enim esse sanctius, existimat, sacris iisdem, quam studiis initiari. Immo vero sensum ipsum, qui communis dicitur, in scholae frequentia melius disci iudicat. Domi ea sola iuuenem discere posse, quae ipsi praecipiantur, in schola etiam, quae aliis. Cum audiat multa quotidie probari, multa corrigi, profuturam alicuius obiurgatam desidiarum, profuturam laudatam industriam, excitatum iri laude aemulationem, turpe ducturum cedere pari, pulchrum superasse maiores. Mitto alia nunc argumenta, quibus prudens ille magister prae priuatis scholas collaudat publicas, mitto, quas idem discit, rationes non nullorum, qui ab hoc more, tum prope publico, priuata persuasione disenserunt, magnopere precatu, ut omnibus, certe plurimis, qui filios suos aut cognatos liberali disciplina institutos volunt, Fabii iudicium probetur. Ita sane fieret, ut aetas nostra doctorum hominum maiorem afferret prouentum, nec vitio institutionis flos ac messis rei publicae in ipsa herba suffocaretur.

Deinde Fabius, ut ipse in Prooemio declarat, recte ac prudenter ab iis discit, qui artem orandi, quam literis tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinae, summam in eloquentia manum imponerent, siue contemnerent, tanquam parua, quae prius discimus, studia, siue non ad suum pertinere officium, opinati. Oratorem ab ipsis dicendi velut incunabulis formari vult ille magister ingeniorum praeclarus, ex cuius schola, discipulorum multitudine frequenti et communem omnium ferenti plausum, profecti sunt homines disertissimi, eloquentissimi et rei publicae administrandae aptissimi. Audi ipsum de prudenti ad eloquentiam institutione differentem. Ego, inquit, cum nihil existimem arti oratoriae alienum, sine quo oratorem non posse fieri, fatendum est, nec ad vllius rei summam, nisi praecedentibus initiis perueniri, ad minora illa, sed, quae si  
negli-





negligas, non sit maioribus locus, demittere me non recusabo, nec aliter, quam si mihi tradatur educandus orator, studia eius formare AB INFANTIA incipiam. Ab infantia vero? Recte, bene, praeclare! Corruit aedificium solidis fundamentis haud superstructum. Non incedet, qui talis consistere nondum adfuevit, non curret, qui incedere nondum didicit. Fructus sperare ante herbam et florem stultum est. Itaque Fabius oratoris sibi educandi studia inde ab infantia formare incipiens Rectori monstrat, quo modo per omnes classes se gerat, ut totius scholae, cuius partes omnes curare debet, commodis et utilitati consulat. Cum enim classium superiorum praeceptores frustra laborant, maioribus, ut par est, rebus intenti, quando ex classibus inferioribus, vel ordinis, vel aetatis, si quod est, beneficio discipuli ad ipsos transeunt, qui ne Prisciani quidem gratiam inierunt; id summa studii contentione agendum sibi videt Rector muneris sui haud negligens, ut ea tractent laborum suorum focii, quae ab aetate et captu iuventutis haud abhorreant, ambitiosis vtilia praeferant, nec onerent infirmitatem discipulorum, nec ingenia torpere et hebescere patiantur. Elegans et apta huc conuenit similitudo Fabii. *Ut vascula, inquit, oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur; sic animi puero- rum quantum excipere possint, videndum est. Nam maiora intellectu, velut parum apertos ad percipiendum, animos non subibunt.* Danda hic inprimis est opera, ut pueri grammatices praeceptis innutriti, iam cum formulas aliquas componunt, aut vel primas linguae exercitationes experiuntur scribendo, recte scribere adfuescant. Recte autem scribere non est fugere solecismos, verum nec barbarismos quicquam admittere. Nam si audias Quincilianum, *ne infans quidem adsuescat sermori, qui dediscendus sit.*

Quan-





Quandoquidem vero tantum res publica ingeniorum cultu  
prouentique et ornatur, et iuuatur, quantum eorum neglectu  
ac defectu labefactatur et corrumpitur; id sibi datum negotii  
existimat Rector totius scholae salutis prospiciens, ut summa,  
qua fieri potest, cura vigilantiaque singulorum ingenia discipu-  
lorum exploret, dilectuque prudenter habito, quid cuiusque  
valeant vires, quid recusent ferre, dispiciat. In quo quidem  
instituto multum proficiet Quinctilianum scholae sic regendae  
magistrum secutus. Is enim in virtutibus praeceptoris numerat,  
*diligenter in iis, quos erudiendos susceperit, notare discrimina inge-  
niorum, et quo quemque natura maxime ferat, scire.* Lib. II.  
C. VIII. Falluntur, qui principium, quod indiscernibilium  
vocant philosophi dari negantes ac dari posse duo indiuidua  
penitus eadem, ad corpora tantum pertinere censent. Non  
minori varietate distinguuntur animi, ratio cogitandi, et cupi-  
ditates in rebus vel expetendis, vel fugiendis, ut facilius, quam  
uis nunquam inueneris, inuenias homines ore ac vultu, quam  
animos cogitando, cupiendo auersandoque prorsus similes.  
Recte igitur Fabius discrimen illud in omnibus omnino rebus  
se prodens eadem varietate ad animos refert, qua ad corpora.  
*Est in hoc, ait, incredibilis quaedam varietas, nec pauciores ani-  
morum paene, quam corporum, formae.* l. c. Idem Lib. X. C. II.  
*negat naturam ita eualuisse, ut non res, quas simillimae videantur,  
discrimine aliquo internoscantur.* Facile largimur, animos, na-  
turas simplices, non partibus differre; sed differunt tamen qua-  
litatibus. Contemplare, si tantum ambitum fert conditio mor-  
talis, omnes, quos prisca tulit et recentior aetas, scriptores,  
nullum deprehendes, cuius ratio scribendi non abhorreat a  
caeterorum oratione. Quae cum ab ingenio proficiscatur, di-  
scrimen ingeniorum satis loquitur. Da musicum idem thema  
mille musicis elaborandum, varietatem deprehendes, qua sin-  
guli inter se discrepant. Da idem orationis thema frequen-  
tissimis





tissimis academiae ciuibus singulis, da partibus suis dispositum, nullius orationem deprehendes alterius plane similem. Da discipulis scholasticis pensum quoddam e germanico in latinum sermonem conuertendum, formulas suppedita purioris latinitatis singulas, nullius tamen exercitatio cum reliquorum omni ex parte conspirabit, et si cui plane conuenerit, hunc alium exscripsisse, oppido colliges. Idem videbis penso quodam a disciplinae tuae alumnis, quotquot fuerint, e graeco, latino, vel alio sermone peregrino in linguam patriam translato. Sed inprimis elegans est argumentum, ab imitatoribus ductum, quo utitur Quintilianus. *Quod (discrimen) ait, intelligi etiam ex ipsis oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere dicendi, ut nemo sit alteri similis, quamuis plurimi se ad eorum, quos probabant, imitationem composuerint.* Quis non credat, hos inter se simillimos fore, qui vnum ita sequuntur exemplum, ut illud velut exhaurire atque exscribere summo studio nitantur? Nec tamen facile accidet, ut vel qui eodem duce ac magistro literas discunt pingere, has eodem prorsus habitu, quo ille, expriment. Nec Titi Flauii Vespasiani exemplum nos mouet, ut aliter statuamus, quem Suetonius commemorat imitatum esse chirographa, quaecunq; vidisset, ac professum, se maximum esse falsarium potuisse. Nam si chirographum aliquod ab alio posset sic effingi, ut nullo modo ab hoc discerni queat, fides omnis periret chirographis et syngraphis habenda. Multo minus qui scriptorem aliquem sibi proponunt imitandum, ita inter se vilo in loco, quem imitantur, conuenient, ut vel duo discerni non possint. Cogita homines Marcum Tullium feruili imitatione secutos, et tamen dicendi genere diuersos, Petrum Bembum, Christophorum Longolium, Marium Nizolium, Paullum Manutium, Aonium Palearium, Carolum Sigonium, Antonium Augustinum, Andream Dudithium, Lazarum Bonamicum, alios, quos Erasmus exagitaui in *Ciceroniano*, du-  
rius





rius acerbiusque ob hoc castigatus a Iulio Caesare Scaligero et Iacobo Pontano. Nizolius, qui ubiuis premi debere Ciceronis vestigia opinatur, quam dissimilis est Manutio, qui nusquam, nisi ubi ille pedem posuisset, sibi fas esse desigere, putauit! Quam ab utroque distat Bonamicus, quem Tullium adeo deperisse nouimus, ut *se magis velle loqui, ut Cicero, quam esse Pontificem Romanum*, profiteretur. Muretum, Maioragium aliosque, qui liberius imitati sunt Ciceronem, iucundiores fateberis, ita tamen, ut quaedam stili diuersitas in singulis appareat. Idem accidit poetarum imitatoribus. Sic vnum eundemque Virgillii locum alia imitatione video respexisse Hieronymum Vidam, alia Georgium Buchananum, alia Casparum Barlaeum, alia Iacobum Sannazarium, alia Georgium Sabinum, alia Petrum Lotichium, alia Eobanum Hessum, alia Fridericum Taubmannum, alia Sidronium Hofchium. Quod imitandi discrimen etiam in vno eodemque Ouidii, Lucani et Claudiani loco se prodet, quem varii recentioris aevi poetae in animo habuerunt. Eadem est lyricorum poetarum conditio, qui sectati sunt Horatium. Quam vero discrepent, qui celebrioris cuiusdam in Germanis poetae persequuntur vestigia, res ipsa loquitur in vtramque partem.

Sed redeo ad meum Quinctilianum. Qui quamuis de ingeniorum discrimine, in iuuentute instituenda considerando, multa doceat praeclara; tamen plenius accuratiusque praecepisset, ac facilius reddidisset iudicium, si ad classes quaeque suas ingenia redegisset. Edmundus Richerius, in aureolo libello, qui *obstetric animorum* inscribitur, C. IV. et Morhofius, in *Polyhistore*, Lib. II. Cap. I. §. 43 seq. ingenia reuocarunt ad ordines quinque; sed commode tribus comprehendi poterant. Alia enim sunt ingenia summa, alia mediocria, alia in-

B

fima





fima. Quibus ingenium est summum, hi vero inusitata et prorsus singulari atque admirabili magnitudine animi sunt diuinitus instructi, omnia capiunt facillime, ita, vt discant, an reminiscantur, vix constituas. Vno hi veluti obtutu omnia circumspiciunt ac peruestigant, quae vnquam viderunt, audierunt, legerunt, cogitarunt, singula in promptu habent, quando-cunque volunt. Tam excelsa ac diuino ingenio, vt alios taceam, quos Richerius laudat, praeditus fuit C. I. Caesar, quem vigore animi acerrimum, animo super humanam et naturam, et fidem euectum censet Velleius Paterculus, tantasque res gessisse, quantas audere vix hominis fuerit, perficere, paene nullius, nisi Dei. Quibus ingenium contigit mediocre, multa quidem percipiunt; sed labore potius improbo plurima vincunt, quam natura. In his, quos ordine quarto collocat pingitque Richerius p. m. 93, *natura cum arte, industria cum labore, meditatio cum sollertia, prudentia cum tolerantia certant aequaliter, et sibi mutuam lucem et commendationem afferunt.* Talis, vt in Caesaribus persistamus, fuit Titus Flavius Vespasianus. Infima tandem ingenia paucissimis rebus apprehendendis paria sunt, maxima quamlibet opera data in minimis diu desident. His quidem Virellium accensendum existinamus.

Iam vero, vt supra diximus, praecipuum Rectoris officium est, ad discipulorum indolem animum attendere, nec quicquam inexpertum omittere, quo ingenia mature a se explorata discernantur. Si quos discipulorum adeo cernat obtusi plumbeique ingenii, vt vel leuissimas res centies inculcatas haud capiant, quamuis maxime velint, si annus effluxerit, ex quo fidi peritique praeceptores in eiusmodi hebetudine non nihil acuenda frustra laborarunt, tum, quod boni viri est, his auctor suatorque sit, vt, missis liberalibus studiis, alias artes sequan-





sequantur, quibus tractandis sint pares, ne pecuniam ac tempus perdant, beneficia emunctoris ingenii discipulis praeuerant, ne tandem aliis secum molesti et graues sint, ac vel esurire in posterum cogantur, vel quaestum ex rebus facere, quibus gerendis plane sint inepti. Tales etiam sunt, quibus crasso sub aëre natis in schola quinque vel sex iustia efluxerant, vel in academia nihil processerat, qui ad incitas redacti scholam tandem colligunt, haud ingenia puerorum puellarumue formaturi, (namque hoc qui poterit homo plane destitutus ingenio?) sed famem sedaturi. Nec raro fieri solet, ut eiusmodi homines discipulorum frequentiae inhiantes scholas legitimas cum ipsis praeceptoribus graui atque insulsa censura vexent, variis conuiciis in vulgus sparsis, rati, tantum suae famae atque existimationi accessurum, quantum detraxerint alienae. Sic malus ille tutor circumforaneus, inopia deperditus, falso nomine venditat antidotum, famamque sibi strophis verbosis acquirit, non vlla, quemadmodum ipse tandem profiteretur, medicae artis prudentia factus nobilis, verum stupore vulgi.

Prudens ingenuusque dilectus ingeniorum Rectori tum quoque opus, quando pueri ad classes altiores euehendi sunt. Non rebus alienis permotus, sed recta conscientia, hos tantum, quoad fieri potest, adscendere iubeat ac patiat, quibus tantum est neruorum ac roboris, ut gradus altiores haud titubantes, haud collapsi occupare possint. Quamuis enim scholae magister id potius optare possit, quam sperare, ut alumni disciplinae suae adscripti gaudeant eadem ad percipiendum vi ac facultate, eademque in curriculo scholastico spatia conficiant; quamuis ita se accommodare singulis debeat, ut doctrina in dies sine taedio alantur atque augeantur, quibus docile est





ac vigens ingenium solidioribusque praeceptis sufficiens, nec animi, natura tardiores, inculti relinquuntur: Videndum tamen, ne disparitate virium ac studiorum nimia vtrisque noceatur. Secus si fiat, non possunt non imbecilliorum profectus impediri, ingenia doctiorum cum ipsis lectionibus retardari, atque ipsae scholae disturbari.

Tandem totus in eo sit Rector scholam non male curans, ne iuvenes scholastica disciplina nondum satis imbuti, nec disciplinis altioribus contemplandis maturi, cum academia scholam commutent. Quo quidem neglecto, tanta fundum literatum hodie calamitas premit, quanta deplorari satis a cordatioribus non potest. Non scholae solum sic desolatae pessum eunt, sed ipsis etiam academiis barbaries vastitasque horrida, et vix optimis artibus ac praesidiis debellanda, infertur, nec mirum, si cum scholis et academiis, quarum flore stant ciuitates, ipsa res publica magis magisque ad interitum feratur.

In ipsa institutione quantum profit ingenia internoscere, et alia ad institutum meum facientia, proxime exponam. Nunc enim, quod Deus immortalis felix faustumque esse iubeat, ab  
 AMPLISSIMIS DRESDENSIS REI PVBLICAE PATRIBVS,  
 PATRONIS SINGVLARI PIETATIS ET GRATI ANIMI RELI-  
 GIONE PERPETVO COLENDIS, scholae Dresdensis Crucianae  
 cura mihi benignissime demandata, Rectoris scholae Vrbis ad  
 Dresdam Nouae prouincia deponenda est. Quod vt rite de-  
 centerque fiat, publice mihi exsoluenda est religio NYMINI  
 SANCTISSIMO, quod clemens ac propitium adfuit laboribus  
 meis scholasticis, PRINCIPI ELECTORI SERENIS-  
 SIMO, PATRONIS ET CVRATORIBVS SCHOLAE PROVI-  
 DENTISSIMIS debita, officiumque FAVORIBVS MV SARVM  
 LIBE-





LIBERALIBVS et *Collegis Amicissimis* praestandum. Ad scholas igitur oratione, qua in aliam scholam transiturus, huic, cui haectenus praefui, dicam vale, respiciens agam *de Basedouiana disciplina religioni valde noxia*, deinde ad pia vora, sollempni ritu suscipienda, me conuersurus. Tum ad dicendum sex prodibunt lectissimi disciplinae meae alumni.

I. IOANNES CHRISTOPHORVS GRÜTZNER, *Seifersdorffo-Misnicus*, Choro musico Adiunctus, probitatis ac diligentiae felicitate laude promerita ornandus, ad academias contendens disciplinas, lingua Latii *commoda* percenserebit, *quae Musica, inprimis vocibus canens, praestat oratori sacro.*

II. IOANNES CHRISTIANVS FRIEDRICH, *Klingensis*, temporum, quibus premimur atque affligimur, difficultate monitus, *tempori prudenter utendum esse*, latina oratione docebit.

III. GVILIELMVS AVGVSTVS RAABE, *Dresdensis*, adolescens et moribus, et studiis ingenuus, antequam iuris disciplinam, cui se dicauit, aggrediatur, latina oratione, cui materiam praebuit sanctioris disciplinae in schola perceptae pensum nuperrimum, disquiret: *Num cuiilibet homini datus sit peculiaris quidam angelus tutelaris?*

IV. FRIDERICVS GVILIELMVS I. INGKE, *Dresdensis*, de *cantu Sirenium*, Franco gallorum lingua, exponet, hoc





sibi sine proposito, ut iuvenes mythica veterum poetarum prudentia edocti leuitatem, propriae sapientiae persuasionem, praecipue voluptatum illecebras, sibi maxime exitiosas, summo studio cauere discant.

V. IOANNES ERNESTVS CROLL, *Lipsiensis*, beneficentiae ac liberalitatis, in pauperum atque egenorum ingentem multitudinem hac tempestate a bonis omnibus effusae, memor, *Φιλάνθρωπον* carmine germanico describet.

VI. IOANNES THEOPHILVS WVSTLICH, *Kesselsdorfiensis*, *Musicam animos recreantem* latinis verbis collaudabit.

Postremo GRÜTZNERVS, suo RAABIIQUE nomine, gratiae mentis officium DEO O. M. PATRONIS et FAVORIBVS atque ipsi scholae versibus germanicis testatum faciet. Vtrumque iuuenem non sine recte factorum conscientia iam ad altiora Musarum castra se conferentem, FRIEDRICH bonis verbis, lingua patria conceptis, ita prosequetur, ut breuiorem primi ex hymnis Daudicis paraphrasin ad iuvenes vitam ac mores diuini verbi hortatu et praeceptis mature conformantes referat.

Auspiciatissima fuit hac temporum calamitate atque exoptatissima Dresdensis rei publicae, ad bene ac praeclare faciendum natae, gratia Musis semper proposita, beneficentia Musarum alumnos in sinu quasi gremioque materno fouens, beneuolentia bonarum artium officinis praesidii non minus imperiens, quam ornamenti. Ingratissimi profecto hominis, cuius  
 vmbra






umbram ducō fugiendam, crimen ego subirem, nisi insignia  
haec excelsae virtutis decora, cuius etiam in me tam multa  
extant monimenta, gratissimo venerarer animo, gratissimo  
calamo publice praedicarem. Tot autem in me ipsamque scho-  
lam beneficiis nouum iam accedet, si, quod officiosissime atque  
humanissime rogo, scholarum PATRONI AC FAVTORES, in-  
primis EPHORVS SCHOLAE MAGNIFICVS AC SVMME VE-  
NERABILIS, PATRES CONSCRIPTI AMPLISSIMI, GRA-  
VISSIMI AC SAPIENTISSIMI, SACERDOTES PLVRIMVM  
REVERENDI, et *Clarissimi scholarum Magistri* cras, hora secunda  
pomeridiana, conueniant iuuenes mecum dicturos beneuole  
audituri. Scrib. in Schola Nouae Vrbs ad Dresdam, IV. Non.  
Iun. clb CCLXXII.





QK II 936

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to contain names and titles.



Handwritten initials or a signature in the bottom right corner.





ULB Halle

3

003 707 547









HC  
936

524,48.

DE  
QVINCTILIANO

OPTIMO SCHOLAE REGENDAE MAGISTRO  
BREVI COMMENTATIONE EXPONENS

AD

ORATIONEM

RECTORIS IN SCHOLA NOVAE VRBIS  
AD DRESDAM

MVNERIS DEPONENDI CAVSSA

VM SEX IUVVENVM ORATIONIBVS

D. III. JVN. clbCCLXXII. H. L. Q. C.

HABENDAM

OFFICIOSISSIME INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE.



DRESDAE

TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.

